

Curat. Igitur tutores, & curatores a Magistratibus præficiuntur, non solum ad defendenda bona, & causas pupillorum, & minorum, sed etiam ad eorundem educationem, & instructionem. Unde mortaliter peccat tutor, aut curator, qui notabiliter est negligens in pupillo, aut minori bonis moribus instruendo, & a vitis, & peccatis avertendo: sicut lethaler peccaret in notabili negligentia circa eorum bona, & causas defendendas: quia æqualiter hæc officia instituta sunt, ut minoribus, & maxime pupillis de utroque provideant. Ex quo sequitur, quod cum tutores, & curatores sint veluti parentes pupillorum, & minorum, debent eis similem honorem, & reverentiam, quam parentibus exhibent. Ideo, quæ diximus de filiis respectu parentum, proportionabiliter eis applicari debent.

71. Inq. 2. Quæ obligatio incumbat magistris respectu discipulorum? R. quod prædicator, seu magister tenentur 1. curam discipulorum gerere in rebus pertinentibus ad mores, & honestam educationem: quia cum loco parentum succedant, eis attribuenda sunt discipulorum peccata, si eos non corrigant, puniant, vel saltem acriter reprehendant. 2. Curare, ut in litteris proficiant, & ne perna bona aliis vanis exercitiis insumant. 3. Debent, non tam subtilia, quam utilia, & solida discipulos edocere. Unde peccat mortaliter magister, qui in moralibus, & theologicis improabilia docet: tum quia ipse turpiter errat: tum quia discipulos in rebus magni momenti in errorem inducit. Circa mores doceat semper probabiliora: in philosophia utiliora, horreat modernos materialistas, qui speciosis verbis incautos fallunt, & a principis veræ Theologiæ, fidei, & religionis elongant. Habeant in corde, & in ore illud æternæ veritatis dictum Eccles. 39. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens.* Sed proh dolor! Hodie sola novitas placet. Sapientia antiquorum despicitur, recentiorum plauditur. Celebrantur quidam saperdæ, qui volentes buccis crepantibus suam sapientiam proderi, suam veram stultitiam ostendunt. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt,* dicit de talibus Apost. ad Rom. 1.

72. Nihilominus ipsi audiuntur, quia novandi genio, & inquieto venerabili antiquitati se opponendi pruritu Theologiam scholasticam adeo ab Ecclesia, a SS. Patribus, & a Conciliis laudatam, & commendatam vocitant insipidam, barbaram, rixosam, antiquatam, & inutilem. Unde illam asserunt ab scholis eliminandam; quia putant sufficere nudam Theologiam positivam. Sed dedebant advertere quod S. Aug. silendo alios lib. 14. de Trin. c. 1. eam dicit esse, per quam *fides saluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Si ergo non se putant oculatiores Augustino, fateantur, quod Theologia scholastica non inutilis, sed utilissima, & saluberrima est.

73. Quod nihil melius probat, quam odium implacabile hæreticorum contra eam, quia eorum commenta, nugæ, & sophistica argumenta dregit, explodit, & profigat. Unde Wiclef, Luterus, Calvinus impietatis scholam, & aliis vere impiis nominibus eam diffamant. Witembergenses, quot libros dictæ Theologiæ invenire potuerunt, igni tradiderunt. Cur dicebat Bucerus *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam?* nisi quia ejus doctrina, præsertim mirabilis summa, est ars munitissima, & velut turris David, ex qua pendent mille clypei ad hæreses, & hæreticos funditus debellandos? Theologia igitur scholastica necessaria est ad puritatem fidei conservandam, & defendendam.

74. Ex dictis inferitur quantus honor, & reverentia magistris adhibendus sit a discipulis, cum tanta obligatio illis adsit ad eos educandos, & instruendos. Unde tenentur 1. discipuli ex virtute observantiæ exhibere suis magistris, & prædicatoribus honorem, & reverentiam similem ei, quam patribus exhibent: imo, & forte majorem: ut postulat Alexander magnus, plus, respondit, quam patrem, se magistrum diligere: *Ille enim,* inquit, *ut essem: hic autem, ut præclare institutus essem, auctor fuit.* 2. Tenentur obedire magistris in his, quæ ad bonos mores pertinent, & ad suam instructionem, nam loco parentum succedunt.

75. Ultimo loco parentum nomine intelliguntur senes, quos etiam hoc Deca-

logi præcepto honorare jubeatur, juxta illud *Levitic. 19. 32. Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Primo, quia senes se habent ad juniores, sicut magistri ad discipulos. Secundo, quia in senibus præter excellentiam ætatis, solet esse magna prudentia, sapientia, & virtus: unde a senibus olim regebantur regna. Et ideo omnes nationes solo instinctu naturali senes honorabant, & venientibus senibus juniores consurge-

bant. Quapropter parentes, & Confessarii acriter reprehendere debent, & etiam punire petulantes pueros, & juvenes, qui non semel pauperes senes exsufflant, & sibilant cum magno dedecore, & commotione atræ bilis. Unde Elisasus Propheta ad puniendos parentes, & filios male educatos, zelo Dei maledixit pueros eum irridentes, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 108. art. 1. ad 4.

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Accedimus ad quintum Decalogi præceptum explorandum, quod unico capite præstare curabimus. Quoniam autem de gula, & ebrietate jam tract. 5. a num. 20. egimus, in præsentem solum de spectantibus ad sævissimum, & crudele homicidium peccatum erit nobis sermo: licet per doctrinæ connexionem quædam de licita hominis occisione prælibanda sint juxta doctrinam D. Thomæ, qui de hoc præcepto disserit. 2. 2. q. 64. & 65.

CAPUT UNICUM

De homicidio.

PUNCTUM I.

Notio homicidii.

1. Inq. 1. Quid per quintum Decalogi præceptum prohibetur? R. prohiberi homicidium proprie tale, quod est *injuria hominis occisio.* Item prohibetur omnis injusta mutilatio, aut læsio hominis facta, verbo, cogitatione, seu desiderio, ope, sive consilio. Aliqui dicunt prohiberi etiam scandalum, quia est mors animæ proximi; sed revera scandalum est peccatum oppositum caritati, potius quam justitiæ, cui proprie opponitur homicidium. Et licet omne peccatum contra justitiam, sit contra caritatem; non tamen e contra. Verum in confessione sufficit fateri expresse peccatum injus-

Tom. I.

titiæ, ibi enim subintelligitur peccatum contra caritatem in injusitiâ semper pertinet. Denique in hoc præcepto prohibetur prodiga per intemperantiam in esu, & potu amissio salutis, cuius homo non est dominus, sed custos. Nam teste Ecclesiastico 37. 34. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstiniens est, adjiciet vitam.*

2. Igitur illo præcepto Exodi 20. 13. *Non occides* minime prohibetur occisio animalium, aut herbas secare, uti finxerunt Manichæi: quia omnia animantia auctor naturæ subjecit homini ad ejus esum, usum, commodum, & utilitatem: ut patet *Genes. 9. 3.* Nec prohibetur occisio hominis facta autoritate publica, ut somniarunt Waldenses: quia oppositum aperte constat Exodi 22. 18. *Ubi maledicos, idolatras, & jumentorum concubitores jubet interfici.* Nec tandem prohibetur occidere homicidas, blasphemos, latrones, & alios facinorosos: quia Josue 7. Acham propter laminæ furtum lapidatus est. Et in jure canonico sepe malefactores damnantur poena mortis.

3. Inq. 2. Quale peccatum sit homicidium? R. esse gravissimum injustitia peccatum, majus omnibus, quæ externum nocumentum homini inferunt; quia maximum ei aufert bonum, nempe vitam: Unde maxima poena est ei imposita, scilicet mors. Est etiam ab intrinseco malum: quia homicidium est injusta hominis occisio, quæ semper est mala. Quare quid valde diversum est occi-

Ssss

sio

sio hominis ab homicidio: hoc enim numquam est licitum; illa vero aliquando est licita, & aliquando debita ex iustitia, ut patet ex sequentibus.

4. Inq. 3. An aliquando licitum sit hominem occidere? R. affirm. quia in primis licitum est occidere malefactores bono communi nocivos ex autoritate Principis, reipublicæ, seu Judicis legitimi. Constat ex textu Exodi supra laudato, ubi dicitur: *Maleficos non patieris vivere*. Ratio etiam naturalis id ipsum suadet: quia omnis pars ordinatur ad totum, & naturaliter est propter illud: ergo quando præcisio partis est necessaria ad salutem totius, poterit licite, & debet partem præscindere, cui totius cura commissa est; sed malefactores sunt partes reipublicæ ei grave nocuum inferentes: erg. Superiores reipublicæ curam gerentes possunt, & debent ob totius salutem eos præscindere, & occidere. Deinde licet occidere hominem autoritate Dei, & etiam in propria defensione, ut dicemus.

5. Inq. 4. An clerici publicam jurisdictionem habentes possint poena mortis damnare malefactores? R. ex licentia Pontificis posse licite: aliter minime. Possunt ex Pontificis dispensatione: quia prohibitio solum est ex jure ecclesiastico, non de naturali, aut divino. Nequeunt absque dispensatione: quia eis prohibetur in jure canonico ferre capitis sententiam ob decentiam status, & significationem mansuetudinis Christi toto titulo de *Clerico percussore*, & alibi sæpe. Unde clerici in sacris constituti se immiscuentes absque licentia in causa sanguinis, peccant graviter; si in minoribus tantum sint, leviter, quia levis reputatur indecentia.

6. Prælati autem ecclesiastici, qui supremo gaudent dominio alicujus Provinciæ, Diocesis, aut civitatis, licet per se ipsos sine dispensatione Papæ nequeant causam sanguinis dicere; valent tamen iudicibus laicis suam committere potestatem ad causas sanguinis iudicandas, ut tenet praxis communis Ecclesiæ. Possunt etiam leges condere continentem poenam mortis. Similiter Inquisitores possunt hæreticos tradere Judici sæculari morte puniendos; licet debeant petere,

ut benigæ se gerant cum eis, ex cap. *Novimus*.

7. Inq. 5. An Princeps supremus, aut respublica possit dare facultatem cuilibet privato occidendi bannitos? R. affirm. quia alias similes reipublicæ perturbatores numquam fortassis caperentur. Unde sibi imputent, si inopinato occidantur. Idem est de potestate data a Principe filiis, fratribusque, ut occidant interfectores patrum, fratrumve suorum: quia Princeps supremus facultatem concedere valet eos occidendi, cui maluerit: erg. etiam filiis, aut fratribus occisorum. Nihilominus non congruit in praxi ejusmodi facultate uti, ne amore vindictæ privatæ, potius quam publicæ exerceatur. In primo etiam casu si banniti, & accelesi capiantur, & adduci possint ad tribunal Principis, minime occidi inopinato debent: quia omnes tenemur consulere proximi salutem spirituales, quæ in morte improvisa, & subitanea maxime periclitantur.

PUNCTUM II.

De innocentis occisione.

8. Inq. 1. An detur potestas humana ad occidendum directe innocentem? R. neg. quia respublica, sive Rex solum habet potestatem a Deo occidendi eos, qui bono communi nocent; sed innocentes nullatenus nocent bono communi: ergo non datur potestas humana eos directe occidendi. Ita D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 6. Constat etiam Exodi 23. *Insontem, & justum non occides*.

9. Objic. 1. Abraham voluit immolare filium innocentem. 2. Viri Samaritæ interfecerunt filios Achab. 3. Filii Israel occiderunt omnes infantes, & lactentes Jerico, ergo licitum est occidere directe innocentem. R. neg. conseq. quia in casibus relatis voluntas immolandi, & occisio innocentem processit ex autoritate Dei, qui est dominus vitæ, & mortis, & volebat probare fidem Abraham, & delere progeniem Achab, & alios, quorum occisionem imperavit Josue 6. supra autem diximus licere hominis occisionem autoritate Dei; imo si Deus expresse, & certo præciperet alicui seipsum occidere, posset, & deberet obedire.

10. Similiter occisio indirecta innocentis licita est cum causa urgente, & gravi: ut dum quis non potest a morte imminente effugere, nisi conculcando equo innocentem, aut quando in bello justo ad reportandam victoriam necessum est militibus dirigere tormentum in locum, ubi occidendi sunt innocentes: quia tunc casus nec fugiens, nec milites intendunt directe innocentem necem; sed tantum indirecte accidit. Verum si innocentes intra castra obsidentium essent, non possent interfici, ut civitas tradi cogatur. Nec post partam victoriam possunt milites victores occidere innocentes civitatis: quia illi nulli faciunt injuriam. Judicantur autem innocentes, nisi aliud constiterit, pueri, mulieres, præbyteri, monachi, peregrini, & mercatores non incolæ, sed obiter transeuntes.

11. Inq. 2. An tyranno minanti urbis excidium, nisi ei innocens tradatur occidendus, licita sit ejus traditio? R. neg. quia traditio innocentis ad occidendum est intrinsece mala, sicut ipsa occisio: ergo sicut non potest respublica ob eandem rationem tradere virginem corrumpebam a tyranno urbis excidium minante, aut sacramenta profananda, seu libros sacros comburendos, ita nec innocens tradere occidendus.

12. Objic. Esto respublica nequeat directe tradere tyranno innocentem occidendum; hic tamen ex caritate tenetur se tradere ob totius bonum: ergo si nolle, poterit respublica eum tradere. R. neg. antec. quia innocens non tenetur adhuc ex caritate ad se tradendum; imo non potest; alias esset cooperatores in justæ occisionis. Potest vero respublica cogere illum, ut exeat a civitate, & ad hoc ipse tenetur ob commune bonum: propter quod valet, & debet quilibet se morti exponere, non autem se directe tradere occidendus.

13. Replicabis: Martyres se tradebant tyrannis occidendos, ergo innocens potest se tradere tyranno occidendus. R. neg. ant. quia Martyres solum intendebant publice confiteri, & prædicare fidem Christi, & ad hunc finem se sistebant coram tyrannis, aut illos etiam quebant ex speciali impulsu Dei; non vero directe se tradebant occidendos; alias ma-

litæ tyrannorum cooperarentur, quod est omnino illicitum.

14. Inq. 3. An liceat judici occidere illum, quem ipse certo scit esse innocentem, si secundum allegata, & probata nocens appareat? R. quod in hac gravissima difficultate triplex militat sententia solidis rationibus, gravique autoritate munita. Prima absolute negat. Secunda distinguit de causis criminalibus majoris momenti, ut poena capitis, exilii, aut carceris perpetui, mutilationis membrorum, aut similibus, in quibus negat cum prima posse judicem damnare, quem certo scit esse innocentem. In causis autem civilibus, & criminalibus minoribus defendit posse. Tertia denique absolute asserit judicem inferiorem, qui tentatis omnibus, nequit reum liberare, debere juxta allegata, & probata sententiam ferre. Ita omnes vere Thomistæ cum suo Angel. Precept. qui eam expresse docet 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3.

15. Ratio potissima hujus sententiæ est, quia judex debet ferre sententiam, non juxta scientiam privatam, sed juxta scientiam publicam, ad hunc enim finem conduntur leges, eriguntur tribunalia, & constituuntur judices; sed in casu questionis innocens juxta scientiam publicam apparet nocens: ergo ut talem debet judex illum damnare juxta allegata, & probata.

16. Confirm. 1. quia contra leges non admittitur probatio in contrarium, erg. nec contra probationes legitimas debet admitti notitia particularis contraria. *Confirm.* 2. quia judex ferendo sententiam juxta allegata, & probata legitime procedit, suoque muneri satisfacit, ergo ad id tenetur, quando alia via nequit reum excusare. Si namque aliquo modo valeat, debet ex caritate eum liberare a morte, vel ab alio gravi damno.

17. Igitur judex inferior debet tentare omnia ad eum liberandum. Debet, si potest, repellere accusatores, testes pluries, & per varia intervalla examinare; eisdem circumstantias temporis, loci, & facti opponere, sententiam differre, si absque scandalo valeat, carcerem aperire, ut fugiat innocens. Denique causam ad judicem superiorem remittere, & coram illo de rei innocentia testificare. Si au-

autem iudex sit supremus Princeps, debet illum liberare, dispensando in legibus: quod quidem ex causa adeo justa licitum est ei apud omnes. Si vero scandalum in populo oriatur, debet publice de rei innocentia testificari.

18. Objic. 1. Occidere innocentem est intrinsece malum, sicut mendacium, ergo in nullo casu est licitum. R. negand. ant. quia in primis occisio innocentis licita est autoritate Dei, non vero mendacium. Deinde etiam licita est cum causa occisio indirecta innocentis, ut supra diximus, & hujusmodi est occisio, ad quam concurrat iudex ferendo sententiam juxta ordinem juris. *Nec ille occidit innocentem, sed illi, qui asserunt esse nocentem:* ait D. Th. ubi supra.

19. Objic. 2. Nequit aliquis accedere ad mulierem certo non suam, esto plures testes affirmarent esse suam: ergo nequit damnari certo innocens, esto affirmetur a pluribus nocens. R. neg. conseq. consistit disparitas in eo, quod ut quis licite accedat ad mulierem, debet informari per scientiam privatam, quod talis mulier non sit aliena; iudex vero in iudicio publico debet informari, non per scientiam, & notitiam privatam, sed per publicam: ut docet D. Thom. q. 67. art. 2. ad 4.

20. Objic. 3. ideo sententia Pilati contra Christum fuit iniquissima, quia protulit illam juxta allegata, agnoscens ejus innocentiam: ergo idem de omni iudice ita procedente dicendum est. R. negand. ant. quia sententia Pilati ex omni capite fuit injustissima; cognovit enim non esse convenientia testimonia: testes esse falsos, accusatores perfidos; nullam potuisse probare causam, Christi innocentiam esse manifestam, notoriam, & publicam, quæ omnia deficiunt in casu questionis, ut supponitur.

21. Ex dictis infertur 1. quod esto iudex agnoscat privata scientia aliquem esse nocentem, reumve mortis, si juxta allegata, & probata appareat innocens, debet illum absolvere: quia tenetur judicare secundum ordinem juris; alias injuste procedit in proferenda sententia, & omnia damna ex illa secuta reo, aut heredibus restituere debet.

22. Infertur 2. quod minister justitiæ

executor sententiæ contra innocentem latæ debet fugere, si potest: quia quilibet tenetur vitam innocentis tueri, quando id sine gravi damno facere valet. *Nam si sententia intolerabilem contineat errorem, non debet obedire: alias exciderentur carnifices, qui Martyres occiderunt.* Si vero non contineat manifestam injustitiam, non peccat exequendo: quia ipse non habet discutere superioris sententiam: nec ipse occidit innocentem, sed iudex, cui ministerium exhibet. Dicit D. Thom. loc. cit. a. 6. ad 3.

23. P. Concine non placet sententia D. Thom. supra exposita, & opposita ad hærens tom. 4. pag. 178. n. 12. ait: *Nulla unquam persuasione induceret ad eum damnandum, quem justum certo cognoscerem.* Quibus verbis satis innuit se melius communi magistro difficultatem callere. Poterat quis ei fiducialiter dicere: *Tene sententiam, sed cohibe linguam, cohibe calamus,* ne recedas a tali magistro, & communi sententia Thomistarum.

24. Sed dicat nobis, cur iudex, parte petente, potest licite exigere juramentum ab eo, quem certo scit falso juraturum? Non minus est intrinsece malum juramentum falsum, quam occisio innocentis: Si ergo iudex juxta Concinam valet illud exigere ratione officii, eadem ratione valebit sententiam ferre juxta allegata, & probata. Sed superflua est revera quævis paritas, ut qui tanti Doctoris discipulatu gloriatur, ejus Angelicæ doctrinæ humiliter subscribamus.

PUNCTUM III.

De abortu.

25. Inq. 1. An liceat aliquando abortum procurare? R. quod directe, & per se abortum procurare numquam licet, sive foetus animatus sit, sive inanimatorum existat: quia si est animatus, est homicidium proditorium innocentis, quod numquam est licitum, etiam ob grave periculum infamiae, mortis, vel alterius damni matris, vel cujuscumque personæ, aut communitatis, seu familiae quantumvis nobilis. Similiter est certum illicitum esse abortum ante foetus animationem

nem ob tuendam vitam, seu famam matris, & reduci ad peccatum homicidii; quamvis non sit proprie tale, quia non actualiter, sed in via est homo.

26. Unde merito damnata est ab Innoc. XI. proposita. *34. Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehensa gravida occidatur.* Ratio naturalis id ipsum suadet: quia non licet pollutionem procurare directe, & per se ad sanitatem, nec ob alium quemcumque finem: ergo neque abortum: quia sicut illa est contra naturam generationis, ita similiter iste.

27. Objic. non est illicitum occidere aggressorem vitæ; sed foetus est aggressor vitæ matris, nec adest aliud medium evadendi, nisi expellendo illud per abortum: ergo hic erit aliquando licitus. R. foetus non esse aggressorem, sed formari a natura ad conservationem speciei, & licet aggressor dicatur, non tamen injustus, qui solum potest occidi ad tuendam propriam vitam, ut fusius infra constabit.

28. Inq. 2. Quo tempore foetus animatur? R. 1. certum esse foetum intra claustrum maternum animari, antequam oriatur. Constat ex propositione 35. damnata ab Innoc. XI. *Videtur probabile omnem fetum, quandiu in utero est, parere anima rationali: Et tunc primum incipere eandem habere cum paritur: ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* R. 2. quod masculus formatur, & animatur juxta communem sententiam spatio quadraginta dierum; foemina vero octoginta plus minusve. In dubio autem præsumitur masculus: Ideoque die saltem quadragesimo a conceptione, & deinceps præsumitur animatus.

29. Inq. 3. An mulier gravida periculoso morbo ægotans sumere possit remedium, sive potionis, sive scissionis venæ ordinatum directe ad sanitatem, quando aliud non superest; quamvis inde abortus timeatur, & foetus non est animatus? R. affirm. quia sicut est licita occisio indirecta innocentis ex gravi, & urgente causa, ita abortus indirecte procuratus. Nec enim mater propter foetum amittit jus utendi remediis necessariis ad salutem, ex quibus si abortus

Tom. I.

sequatur, est per accidens, & præter intentionem.

30. Verum si saltem dubium sit de animatione foetus, & adsit spes in lucem prodeundi, ac baptismum suscipiendi, tenetur mater abstinere a remedio, ex quo abortus timeatur: quia quilibet tenetur ex caritate præferre salutem eternam proximi suæ vitæ temporali. Igitur magna circumspectione procedere debent medici, & chirurghi tam in curatione gravidæ, quam in scissione ejusdem, postquam defuncta est: pluries accidit scissio Cæsarea feliciter operata; tamen mater adhuc vivens minime tenetur scissionem pati cum periculo adeo noto. Si autem adesset chirurgus peritus, qui uncis, aut alio instrumento subtili sciret extrahere foetum vivum absque periculo vitæ matris, posset hujusmodi curatio in casu urgenti admitti. Vide Cuniliati tom. 1. tract. 18. de homicidio cap. 1. §. 3. num. 7.

31. Inq. 4. Quæ poenæ sint impositæ contra abortum procurantes? R. quod in primis conformiter ad sacram paginam tum veteris, tum novi testamenti, jure communi civili assignatur homicidæ poena capitis, quæ absdubio debetur procuranti abortum foetus animati, effectu secuto, est enim vere homicida. Deinde Greg. XIV. in constitutione *Sedis Apostolicæ* edita 1592. moderando aliam Sixti V. assignavit tres poenas contra procurantes abortum foetus animati. *Prima est irregularitas homicidii voluntarii, seu directi Pontifici reservata effectu secuto. Secunda excommunicatio major lata contra eundem abortum procurantes, auxiliantes, seu consiliantes reservata Episcopis, vel Confessariis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatis, moderata reservatione Papali, quam Sixtus imposuerat. Tertia est privatio officij, beneficii, & cujuscumque dignitatis ecclesiasticæ antea obtentæ, & inhabilitas ad alias obtinendas, ita ut hæc inhabilitas ipso facto incurratur; illa vero privatio post sententiam, saltem declaratoriam criminis.*

32. Inq. 5. An dictas poenas incurrant procurantes abortum ante foetus animationem? R. negative: quia esto Sixtus V. etiam hos comprehenderit; Gregorius

Titt

vero

vero eas limitavit ad procurantes abortum foetus animati. In dubio autem animationis post quadraginta dies, ut diximus, præsumitur animatus. Communior sententia tenet etiam matrem incurere excommunicationem dictam; est enim rea homicidii.

33. Sõlus Pontifex valet tollere irregularitatem ob abortum incursum. Ab excommunicatione potest absolvere Episcopus, seu Confessarius de ejus speciali deputazione. Inhabilitatem ad officia, & dignitates valet tollere irregularitatem ob abortum incursum. Ab excommunicatione potest absolvere Episcopus, seu Confessarius de ejus speciali deputazione. Inhabilitatem ad officia, & dignitates valet tollere irregularitatem ob abortum incursum. Ab excommunicatione potest absolvere Episcopus, seu Confessarius de ejus speciali deputazione. Inhabilitatem ad officia, & dignitates valet tollere irregularitatem ob abortum incursum.

PUNCTUM IV.

De homicidio privata autoritate perpetrato.

34. Inq. 1. An possit aliquis privata autoritate hominem occidere? R. negative: tum quia hoc est potissimum, quod in quinto Decalogi præcepto prohibetur illis verbis *Non occides*. Tum quia solum potest homo directe occidi, quia est nocivus bono communi, ergo solum ad eos spectat eum de medio tollere, quibus cura boni communis est commissa. Cum ergo ad Principem, & ad ejus ministros publica autoritate fungentes pertineat reipublice bono incumbere, illi solum possunt malefactores interficere, vel facultatem ad hominem ex justa causa occidendum alicui committere. Ita D. Thom. 2. 2. q. 65. art. 1. ad 2.

35. Objic. Si alter mihi certo centum debeat, & alia via nequeo recuperare, possum occulte propria autoritate totidem sumere, ergo si certo scirem Petrum occidisse patrem meum, & alia via non possum vindicare, vel ob defectum testium, vel ob negligentiam judicis, potero occulte propria autoritate eum occidere. R. neg. conseq. quia in primo casu alter ante sententiam judicis tenetur mihi ex justitia solvere; in secundo vero occisor non tenetur ante judicis sen-

tentiam poenam mortis luere; ideo non possum me de illo vindicare, nec sententiam mortis prævenire.

36. Inq. 2. An quilibet propria autoritate occidere possit Principem tyrannum? Ante responsionem notandum est, quod dupliciter potest dici tyrannus aliquis Princeps, nempe *regimine*, & *usurpatione*. Ille est tyrannus regimine, qui juste possidet regnum, illud tamen tyrannice gubernat, nimis subditos gravando, eos bonis propriis expoliando, plures alias injustitias committendo, & in bonum proprium, non in commune commodum gubernationem dirigendo. Secundo modo est, & dicitur aliquis tyrannus, qui absque ullo jure intendit se introducere in Regnum, usurpando, quod sibi non debetur, & armis Regnum invadendo: qua ratione est injustus invasor Regni: quibus suppositis:

37. R. 1. Quod nullus propria autoritate potest occidere Regem, seu Principem quantumvis discolum, & tyrannum regimine, seu gubernatione, quia est contra omnem legem naturalem, & divinam, humanamque, quod quis privata autoritate occidat suum Regem legitimum; sed Rex non desinit esse legitimus, & verus Regni dominus, quantumvis tyrannice gubernet; ergo a nullo privata autoritate occidi valet. Resolutio hæc apud omnes nationes, etiam barbaras, tamquam certa amplexari debet: abhorret enim ipsa natura similem occisionem, ut feralem, & alienam prorsus a ratione, & omni juri contraria.

38. Doctrinam hanc tamquam de fide tenendam esse contat ex Concilio Constantiensi, ubi contraria merito proscribitur, dum inter articulos hæreticos Joannis Hus sequens damnatur: *Quilibet tyrannus licite potest a quocumque subdito interfici*. Justissime quidem hæc thesis ab Ecclesia profligatur, tamquam opposita doctrinæ Apostolorum: ut patet 1. *Petri cap. 2. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & honestis, sed etiam discolis*. Quandoquidem Princeps, quamvis tyrannice regat, aut gubernet, est legitimus superior, cui a subditis obedientia, reverentia, & honor præstari debet. Alias actum est de Regibus, Principibus, &

su

superioribus, si privata præsumptione quilibet posset attentare necem eorum pretextu tyrannidis. Quid autem agendum? Tollenda est nostra culpa, ut cesserit tyrannorum plaga; inquit D. Thom. *Opusc. 20. de regimine Principis lib. 1. cap. 6.*

39. R. 2. Quod si Princeps sit extraneus tyrannus volens usurpare Regnum non sibi debitum, quilibet potest eum occidere; nisi inde majus detrimentum reipublice timeatur: quia tunc agit ut miles, & minister reipublice injuste invasæ, aut oppressæ, non autoritate privata, sed publica a legitimo Rege, seu republica taite, vel expresse communitata, occisorque illius, (dum actualiter injustum bellum gerit cum republica alterius domini) nequit reus occisionis Principis ullo modo dici; sed injusti invasoris indigni prorsus nomine Principis decorari.

40. Idem dicunt gravissimi Theologi de eo, non solum quando actualiter bello invadit, sed etiam dum jam occupat tyrannice Regnum: quia reipublica esto reavens, & repugnans, illi invita, & coacta subjicitur, armaque deponit, non potens illum repellere; semper tamen tyrannicum bellum virtualiter durat, & est invasor, & oppressor libertatis. Unde si alicui occurrat aditus occidendi tyrannum hunc extraneum, & redimendi reipublicam ab ejus tyrannica oppressione, ajunt posse illum licite interficere. Nihilominus cum materia sit adeo gravis, & severiori discussione, & consideratione digna, dicimus non ad quemlibet, sed ad Magistratus, Dynastas, & Senatum Regni spectare decisionem, dum jam reipublica, esto reavens, arma deposuit, & illi subjecta est: quia Magistratus, & Duces, non quilibet privatus, dignoscunt, quibus de causis arma sint deposita, reipublica subjecta, & possessio illi concessa.

41. Inq. 3. An peccet graviter maritus, vel pater filiam aut uxorem in adulterio deprehensam occidendo? R. affirm. Constat ex propositione 24. damnata ab Alexandro VII. *Non peccat maritus occidens propria autoritate uxorem in adulterio deprehensam*. Probatum ratione: quia sic occidens præjudicat uxori, vel

cullibet alteri occiso, & reipublice. Uxori, quia non debet mori nisi juxta ordinem juris. Reipublice, quia sibi occisor usurpat officium judicis, & vult esse judex, actor, & testis: quod est contra naturam judicii recti. Non minus delinquit, maxime inter Christianos, contra ordinem gratiæ, exponendo oculum aperto damnationis periculo. Idem est dicendum esto maritus sit judex, aut Princeps supremus, propter rationes allatas: quia Judex, & Princeps debent observare ordinem juris, & procedere ex publica notitia: quoniam si ex privata notitia procedunt, privata autoritate occidunt, quod est omnino illicitum.

42. Objic. 1. Leges civiles, imo & canonicæ impunem relinquunt maritum uxoris occisorem in casu præsentis: ergo non peccat graviter. R. quod leges esto excusent maritum a poena mortis propter impetum passionis, non approbant delictum, nec excusant a culpa. Nam si aliud intendunt leges civiles, corriguntur a canonicis. Verum est, quod si adulter occisus est clericus, occisor non incurrit excommunicationem canonis: bene vero irregularitatem ex delicto homicidii voluntarii.

43. Objic. 2. Princeps supremus dispensare valet in jure positivo statuente ordinem judicii publici juxta allegata, & probata: ergo potest absque tali notitia publica, & ordine juris occidere uxorem in adulterio deprehensam; maxime cum non deceat famæ Regis publicare delictum Regiæ. R. quod judicare secundum allegata, & probata, & ex notitia publica est de jure naturali, non de jure positivo: quia contraria condemnatio occulta tollit tranquillitatem communem, & justam defensionem omnibus a natura concessam. Regis autem dedecus ex publicatione delicti vane timetur; magis enim infamaretur Princeps occulte Reginam occidendo, quam servato ordine juris: quia omnes crederent, non ratione justitiæ, sed livore vindictæ eam occidisse.

P У К С Т У М I.

De occisione injusti invasoris vitæ.

44. Inq. 1. An quis teneatur occidere injustum aggressorem vitæ propriæ? R. neg. quia quilibet ex caritate valet suam vitam pro vita alterius exponere: ergo etiam potest non se defendere ab injusto invasore, ut plures Martyres fecerunt. Excipitur duplex casus. Primus, quando invasus est in peccato gravi: tunc enim debet se defendere ob periculum æternæ salutis. Secundus, quando vita invasi est valde utilis reipublicæ: quia magis debet provideri bono communi, quam vitæ alterius.

45. Inq. 2. An liceat occidere injustum invasorem ob defensionem vitæ? R. affirm. quia conservare vitam est actus honestus inditus a natura, ergo etiam defensio vitæ, esto ex ea sequatur occisio alterius, qui hanc conservationem impedire injuste intendit. Unde quilibet etsi clericus, aut religiosus, si nequeat defendere vitam ab injusto invasore, nisi illum occidendo, potes illum occidere cum moderamine inculpate tutelæ.

46. Inq. 3. Quæ conditiones requirantur, ut defensio sit cum moderamine inculpate tutelæ. R. Sed ex requiri. 1. quod non intendat occisionem: nisi ut necessariam ad defensionem: hoc est, quod non intendat illam directe; sed indirecte pro sola defensione. 2. quod alia via non pateat ad defensionem præter occisionem. 3. quod non utatur majori violentia, quam ad defensionem sit necessaria: unde si invasor aggreditur inermis, non potest uti armis, nisi ad terrendum: vel si percussione, aut minori læsione repellere valet, occidere non poterit. Pugnis te debes defendere, si pugnis invaderis; nisi pugni sint adeo atroces, ut vulnera, aut mortem valeant inferre. 4. quod non prius offendas, quam alter invadat, aut invadere incipiat. 5. quod offendas solum in ipsa aggressionem; non post aliquod intervallum. 6. quod prudenter credat invasus se occidendum ab invasore, nisi ultimo conatu se defendat, etiam cum illius occisione. Cum hujusmodi conditionibus oc-

cidens invasorem nec peccat, nec fit irregularis; si autem aliqua ex illis deficiat, & peccat, & irregularitatem incurrit.

47. Inq. 4. An hæc defensio competat etiam danti occasionem, ut invadatur? v. g. si quis in adulterio deprehendatur a marito, qui eum vult occidere? R. affirm. quia invasor semper injuste agit autoritate propria invadendo; idcirco invasus non amittit jus se defendendi cum moderamine inculpate tutelæ.

48. Objic. 1. Invasus propria autoritate occidit invasorem dictis casibus; sed hoc prohibetur per quintum Decalogi præceptum *non occides*: ergo non potest eum occidere. R. neg. minorem, & conseq. quia in quinto præcepto Decalogi solum prohibetur occisio directa hominis, non vero indirecta causa propriæ defensionis; alias panderetur janua sceleris perfundendi vitam, & sanguinem honestis scientes istos minime se defensuros.

49. Objic. 2. In extrema necessitate spirituali proximi quilibet tenetur ex caritate negligere vitam corporalem propriam; sed invasor est in extrema necessitate spirituali, cum sit in peccato lethali, ergo non licet illum occidere ob defensionem propriam. R. neg. min. & conseq. quia invasor non est in extrema necessitate, sed in extrema iniquitate, a qua potest, & debet recedere: quapropter esto sit pater, aut alius quilibet præclarus nolens resilire ab injusta invasione, potest occidi, dum alia via evadendi non superest. nisi sit Rex, vel Princeps supremus.

50. Inq. 5. An liceat prævenire injustum aggressorem vitæ? R. quod in hac lubrica materia pedetentim est ambulandum, & loquendum, ne ex certis incerta deducantur: ideo dicimus, quod si invasor aliquo modo jam incipiat invasionem, a qua nequeas defendere vitam, nisi ejus morte, potes eum occidere: quia ut te defendas, non est opus, quod incipiat te lædere, ergo sufficit, quod incipiat certo invasionem per aliquam actionem exteriorem. Ut si certo scias inimicum tuum habere paratum assassinum, ad te occidendum, aut videas ele-

elevare scopuletum, & nequeas effugere, nisi prius occidendo, id tibi licet. Et idem de aliis similibus, ubi solum occidendo incipientem invadere, potes vitam propriam conservare. Exemplum adulteræ evidenter scientis maritum cum ea decubentem sub cervicali abdidisse gladium ad eam dormientem confodiendam, quidam his verbis irridet: *Dormientem maritum peccat, & non aggreditur?* Futilis certe interrogatio! Circumstantiæ serio inspiciendæ sunt. Numquam licet occidere, si alia via potes invasionem effugere. Omnes, qui fugiendo valent evadere, periculum, ad fugiendum tenentur; quia fuga, ne alium occidas, non dedecus, sed verus honor est.

51. Inq. 6. An possit præveniri occisio falsi accusatoris, vel thesis, aut judicis, a quo imminet injusta sententia? R. neg. constat ex propositione 18. damnata ab Alex. VII. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnatum vitare.* Merito hæc thesis proscripta est, amplam enim parabat viam cædibus contra judices, ministros, testes, & accusatores: Nec in casu ejus adest vis actualis, quæ alia via repelli non possit, media appellatione ad superius Tribunal, & alius variis modis.

P У К С Т У М VI.
De occisione invasoris famæ, honoris, & pudicitie.

52. Inq. 1. An aliquando liceat occidere invasorem famæ, & honoris? R. neg. quia vel injuria fit verbis, aut signis, alapa, aut fuste. Si verbis inferatur, verbis etiam compesci debet; quia barbarum utique est, ut bene ajunt Salmanticenses, adimere vitam ei, qui solis verbis, aut signis tuum invadit honorem. Si inhonoratio fiat alapa, aut fuste, idem dicimus: quia ad summum alapis, & fustibus te defendere vales, non occisione infamantis: quia hoc est excedere graviter moderamen defensionis. Ultra quod, aliter potes recuperare honorem. Si enim publice fuisti percussus, vales per judicem honoris restitu-

Tom. I.

tionem postulare, aut aliis modis illam consequi; si secreto, non est tanta injuria, ut contra legem Christi velis tam facile adimere vitam proximi, quam vere diligere caritatis præcepto teneris.

53. Objic. Ad vitam defendendam licet occisio invadentis; sed honor excellentius est, & in viro probò assumabilius ipsa vita; ergo R. quod esto juxta leges mundi honor sit præstantior vita; non sic juxta leges Dei, & religionis, ad quas unice est attendendum. Vita enim est supra omnia temporalia, ejusque ablatio damnum irreparabile; quod non accidit in honore, valet enim reparari pluribus modis sine occisione invasoris.

54. Inq. 2. An liceat religioso, vel clerico, aut viro nobili occidere suum calumniatorem? R. neg. Constat ex propositione 17. damnata ab Alexand. VII. *Est licitum religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus religioni publice, & coram gravissimis viris impingere, nisi occidatur.* Alia huic affinis proscripta fuit ab Innoc. XI. ordine 30. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percussit, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.* Merito hæc opiniones adeo indecoræ religiosis, & clericis damnatæ sunt: tum quia ad repellendam calumniam plurima suppetunt media præter occisionem calumniatoris: Tum quia si minantem injuste occisionem non licet occidere, quando adsit facultas ad fugiendum; quanto minus minitantem calumniam? Sed pro intelligentia secundæ thesis:

55. Inq. 3. An percussus alapa, aut fuste possit in defensionem honoris invasorem repercutere? R. sub distinctione; vel enim percussus perseverat intendens iterum percussere, vel non? Si primum, potest percussus invasorem repercutere; non in vindictam honoris, sed in defensionem iteratæ percussiois: quia per percussioem, esto non possit restitui ho-

Vvvv

nor